

027

025

031

021

036

016

076

126

Ende

Anfang

12

ad vitandam talium distractionem. Unde Hieronymus in epistola
Bonus homo, si, inquit crucis et resurrectionis loca non essent
in urbe celeberrima, in qua curia, in qua aula militum, in qua
scorta, mimi, scurrae, et omnia sunt, quae solent esse in
coeteris urbibus; vel si monachorum turbis solummodo fre
quentaretur, expetendum revera hujusmodi cunctis [monachis]
esset habitaculum. Nunc vero summae stultitiae est [renuntiarv
saeculo] dimittere patriam, inter maiores populos peregre vivere,
melius quam eras victurus in patria. De toto orbe Jerosolymam
concurrit, plena est civitas universi generis hominum, et
tanta utriusque sexus constipatio, ut non sit quies, nec devotio
aut recollectio. Haec Hieronymus [Tom. 1. Fol. 103, A] Verum
iam aliam habet civitas sancta faciem. Ibi nunc nec rex, nec
miles, imo nec scorta, nec mimi, et quantum ad hoc, securior,
sanctior, et devotior est peregrinari modo, quam tempore h.
Hieronymi, nec sunt ibi impedimenta singularium devotionum, licet
multae sint miseriae. De quibus patebit in sequentibus. (5 A)

Porro, si absque licentia quis iter arripiat, nec audit:
Egredere, iam egressio talis non esset peregrinatio, sed peri
culosa damnosaque evagatio, nec iret post greges sodalium
Christi, sed post institutum diaboli, sicut enim Salomon 3 Reg.
2 v. 36 sqq. praecepit Semei, ut sibi aedificaret domum in
Jerusalem, et non egredetur huc atque illuc. Quamecumque
autem die contrarium fecerit, et trans torrentem Cedron trans
ierit, scire se interficiendum. Quod et sibi contigit, dum
egressus sine facultate fuit. Sic verus Salomon Christus, et
Papa Christi vicarius, praecepit cuilibet fideli Catholico manere
in Ierusalem, hoc est, in terminis christianorum, quacumque
autem die egressus fuerit aliquis, sine licentia papae, trans
torrentem maris magni, scire se interficiendum excommunicatione
papali. Est enim prohibitum sub magnis censuris, quod nullus
absque Papae licentia vadat in terram sanctam. Et hanc
censuram et excommunicationem vidit Dominus Anthonius in
libro poenitentiariae summi poenitentiarii. Ut dicit in Tractatu
de Excommunicationibus C. 32. Quare autem super hoc sit
lata sententia excommunicationis, vide post ea, pag. 82. Ideo
nullus Cardinalis et nullus Legatus intromittit se de danda licentia,
sed petentes aut ad Papam, aut ad summum Poenitentiarium

